

UNIVERSITY OF TORONTO  
CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

Ph.D. level Medieval Latin Examination

*September 10, 1993*

*Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. PLEASE DO NOT USE PENCIL.*

\*\*\*\*\*

**1. Hugh of St. Victor: On the Order of Reading**

Duo tibi, lector, ordinem scilicet et modum, propono, quae si diligenter inspexeris, facile tibi iter legendi patebit. In horum vero consideratione nec omnia tuo ingenio relinquam, neque per meam diligentiam satis tibi fieri promitto; sed sic quaedam breviter praelibando transcurram, ut et posita aliqua quibus erudiaris, et aliqua praetermissa quibus exercearis invenias. Ordinem legendi supra quadrifarium esse commemoravi; alium in disciplinis, alium in libris, alium in narratione atque alium in expositione. Quae qualiter in divina Scriptura assignanda sint, nondum ostendi.

Primum ergo hunc ordinem qui quaeritur in disciplinis inter historiam, allegoriam, tropologiam divinorum lectorem considerare oportet, quae harum aliam ordine legendi praecedat. In quo illud ad memoriam revocare non inutile est, quod in aedificiis fieri conspicitur, ubi primum quidem fundamentum ponitur, dehinc fabrica superaedificatur; ad ultimum consummato opere domus colore superducto vestitur.

**2. Bede Hist. Eccl.: Cadwalla's Baptism**

Anno autem regni Aldfridi tertio, Caedualla rex Occidentalium Saxonum, cum genti sua duobus annis strenuissime praeesset, relicto imperio propter Dominum regnumque perpetuum, venit Romam, hoc sibi gloriae singularis desiderans adipisci, ut ad limina beatorum apostolorum fonte baptismatis ablueretur, in quo solo didicerat generi humano patere vitae caelestis introitum: simul etiam sperans quia mox baptizatus, carne solutus ad aeterna gaudia iam mundus transiret: quod utrumque ut mente disposuerat, Domino iuvante completum est. Etenim illo perveniens, pontificatum agente Sergio, baptizatus est die sancto sabbati paschalis, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo octuagesimo nono: et in albis adhuc positus, languore correptus, duodecimo kalendarum Maiarum die solutus a carne, et beatorum est regno sociatus in caelis. Cui etiam tempore baptismatis papa memoratus Petri nomen imposuerat, ut beatissimo apostolorum principi, ad cuius sacratissimum corpus a finibus terrae pio ductus amore venerat, etiam nominis ipsius consortio iungeretur.

**3. Gregory of Tours: On his own ignorance**

Pudet insipienti, reprobo inperitoque atque inerti illud adgredi, quod non potest adimplere; sed quid faciam, quod oculi non patior, quae de beatorum virtutibus vel ipse saepius inspexi vel per relationem bonorum virorum et certae fidei evidenter gesta cognovi? Sed timeo, ne, cum scribere coepero, quia sum sine litteris rhetoricas et arte grammatica, dicaturque mihi a litteratis: O rustice et idiota, ut quid nomen tuum inter scriptores indi

aestimas? Ut opus hoc a peritis accipi putas, cui ingenium artis non subpeditat, nec ulla litterarum scientia subministrat? Qui nullum argumentum utile in litteris habes, qui nomina discernere nescis; saepius pro masculinis feminea, pro femineis neutra et pro neutra masculina conmutas; qui ipsas quoque praepositiones, quas nobilium dictorum observari sanxit auctoritas, loco debito plerumque non locas. Nam ablativis accusativa et rursum accusativis ablativa praeponis. Putasne: videtur, ut bos piger palaestrae ludum exerceat, aut asinus segnis inter spheristarum ordinem celeri volatu discurrat?

**4. A religious woman replies to a letter from a learned friend**

Nisi silentium meum ad tuam iniuriam revocares, rata fueram competentem mihi propheticam sententiam, que ait: ‘Si est tibi sermo, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum.’ Quid enim respondere tibi possem, aut unde loquendi verba presumerem, cum ita totum canonis corpus epistole tue sermone complexa sis, ut nihil mihi relinquieres ad dicendum? Latuit mihi actenus arca testamenti, hoc est conpago tui cordis, in qua omnis librorum biblioteca congesta est. Meretur sane et ab intus et a foris deaurari materia principali, que tam fideliter scripta digito Dei verba custodit. Meruit quidem propheticum testimonium illa in mysterio Christi sponsa, que sitientem Abrahe famulum deposito ex humeris suis idrye licore satiavit: sed non minor illa es donanda titulis et consecranda sententiis, que nos, Abrahe famulos -- quia omnis qui peccat servus est -- ex ydria pectoris tui, hoc est thesauro ex vase fictili satiasti.